

est certum, quia id quod est informabile a forma substantiali non est nisi materia prima, illud autem dicitur subjectum formæ, quod est informabile ab ea. Consequentia tenetur, quia actio identificatur cum termino, ergo quod est subjectum termini seu formæ erit subjectum actionis ad illam. Confirmatur, quia in aliis motibus in eo subjecto est actio ubi est terminus, quia subjectum in quo inhæret mutatio debet esse commune utrique termino mutationis, ergo cum subjectum utriusque termini seu formæ quæ generatur, sit materia prima, illa enim recipit utramque formam, illa etiam debet esse subjectum generationis, quantum ad inhæSIONEM. Denique, faciunt ad hoc auctoritates S. Thomæ ut in I de Gen. lect. x, et VIII Met. lect. I et I part. quæst. XLV, artic. II ad 2, et q. III de Pot. artic. III ad 4, in II, dist. XII, quæst. I ad 2. Ubi perpetuo assignat pro subjecto proprio susceptibili generationis, et corruptionis materiam primam.

Respondetur negando consequentiam, quantum ad subjectum inhæSIONIS, et ad probationem respondetur, quod actio identificatur cum forma, distinguo: inadæquate tanquam cum termino formali, concedo; adæquate et tanquam cum termino totali, nego. Itaque retorqueri potest argumentum, nam generatio identificatur cum termino totali, terminus totalis est compositum, ergo generatio est incomposita, et non in sola materia, et sic subjectum inhæSIONIS non erit subjectum formæ, cum qua identificatur generatio, tanquam cum termino formali tantum, sed subjectum generationis quantum ad sustentationem in esse erit ipsum totum, qui directe convenit esse sustentativum, materia autem prima erit subjectum quo recipiendi, non subjectum quod susten-

tandi. Ad confirmationem respondeatur, quod in aliis mutationibus subjectum quod mutatur est ipsum compositum, seu ens completum, in actu, eo quod mutationes illæ sunt ad accidentia, et ideo idem est subjectum inhæSIONIS, et mutationis. Quod secus accidit in generatione substantiali, quæ est ad formam substantialem, ubi non potest assignari subjectum inhæSIONIS, et mutationis sub eadem formalitate, sed subjectum inhæSIONIS est ipsum totum, secundum quod induit esse subsistens et sustentans, est autem subjectum mutationis ratione materiæ, cuius potentialitas mutatur ad formam. Nec oportet manere utrique formæ seu termino commune subjectum inhæSIONIS; sufficit quod maneat subjectum commune mutationis, licet actio inhæreat in composito in quo est tale subjectum mutationis, quia materia prima non est sufficiens sustentare accidentia, nisi dependenter a toto ut subjecto quod; hoc enim est inhærerere illi, ut latius dicemus quæstion. IX.

Ad auctoritates D. Thomæ respondetur, loqui de subjecto generationis ut mutatio est non de subjecto inhæSIONIS excludendo compositum, imo expresse in citato loco q. III de Potent. a. III ad 4, docet generationem secundum rationem mutationis esse in materia prima, secundum vero relationem esse in composito, ut supra retulimus.

ARTICULUS VI.

Utrum in generatione substantiali fiat resolutio omnis formæ usque ad materiam primam?

Resolvi usque ad materiam primam, idem est quod spoliari materiam primam omni forma tam substantiali, quam accidentali, quando fit generatio. Et inquirimus an tol-

latur a materia omnis forma tam substantialis, quam accidentalis, quando aliqua de novo introducit, quod aliis verbis etiam inquiri solet, videlicet eadem accidentia, quæ erant in corrupto, maneat in genito. Et quidem de resolutione omnis formæ substantialis in præsentem non tractamus, sed supponimus totaliter spoliari materiam formam substantiali, quando fit generatio, eo quod in composito non sunt plures formæ substantiales, ut ostendimus in quæstion. I de Anima, unde exclusa una forma substantiali, ut altera introducat, omni forma substantiali præcedente spoliatur.

De resolutione ergo omnis formæ accidentalis difficultas est. Nam ex una parte videtur non posse omnia accidentia corrumpi, sed in instanti generationis debere permanere, tum quia in illo instanti debent esse dispositiones, ut reddant materiam dispositam et determinatam ad hanc formam potius quam ad aliam, alias maneret materia indifferens, et indeterminata ad talem formam. Similiter debent manere in illo instanti accidentia, quæ se habeant tanquam virtus ipsius generantis, si generans non sit illi conjunctum, oportet enim in illo instanti procedere generationem ab aliquo effective, non a generante, quia ut supponimus non est ibi non a virtute generantis, vel cœli, aut alterius agentis ibi relicta, quia virtus hæc subjectabatur in re quæ corrumpitur: ergo si desinunt omnia accidentia in illo instanti, perit etiam illa virtus; tum etiam quia est specialis ratio de aliquibus accidentibus quæ omnino a materia avelli non possunt, verbi gratia, quantitas, quæ sequitur ipsam materiam, sicut qualitas formam, et mediante quantitate redditur materia divisa, et individuata; constat autem in instanti generationis supponi materiam in-

dividuam, et ab aliis materiis separatam: ergo habentem quantitatem, per quam fit ista divisio; quod specialiter urget in homine, in quo quantitas non potest subjectari nisi in sola materia, quia forma est spiritalis: ergo quantitas materiæ non evacuat quando producit homo, et consequenter, neque videntur tolli alia accidentia quæ mediante quantitate subjectantur in substantia; tum denique est difficultas de aliquibus accidentibus, quæ non videntur competere rei genitæ, nisi maneat in ipsa materia, sicut videmus in cadavere manere eandem cicatricem, eundem colorem nigrum, eadem signa, etc. Aliquando etiam manet calor intra viscera animalis mortui, qui non potest generari a suo corruptente, præsertim quando suffocatur aqua, neque enim aqua potest generare calorem. Similiter si animal sursum impulsu, non potest in cadavere generari ille novus impulsus, quia non potest produci a generante ipsum cadaver, cum tale generans non habeat vim impulsivam, cum non sit vivens, ergo ista accidentia non extrahuntur ab ipsa materia, nec alia ei similia producantur, quia non est causa a qua producantur.

Ex alia vero parte obstant duo principia satis nota apud D. Thomam, scilicet quo accidentia subjectantur in toto, quo preunte pereunt accidentia; et secundo, quod materia recipit formam substantialem, prius quam accidentalem, ergo exuta forma substantiali, exunt omnia accidentia ante recepta, alias manerent aliqua recepta immediate in ipsa materia ante formam substantialem.

Hinc est, quod ista difficultas maxime pendet ex alia infra tractanda, quæstione nona, an videlicet subjectum accidentium sit sola materia, vel ipsum compositum. Qui enim

tenent materiam esse immediatum subiectum accidentium, consequenter dicunt non oportere in introductione formæ substantialis resolvi omnia accidentia, et ita tenet hanc sententiam P. Suarez, disp. xiv Metaph. sect. iii, ubi plures citat ex antiquis, et plures etiam referuntur pro hac sententia a Conimbricensibus I de Generat. cap. iv, quæst. xviii, art. i, præsertim ex Nominibus, ut Gabriel, ahcOm, Gregorius. Videri etiam potest Murcia, disp. I de Gener. quæst. v, et alii ex recentioribus.

Nihilominus sententia S. Thomæ est: In generatione substantiali fieri resolutionem accidentium, ita ut nullum, quod erat in corrupto relinqueretur in genito, sed de novo produceretur. Constat hoc ex ipso D. Thoma I p. quæst. lxxvi, ubi inquit: « Impossibile est, quod aliqua dispositio accidentalis cadat media inter corpus et animam, vel inter quæcumque formam substantialem et materiam suam. » Et hoc ibi probat ratione statim adducenda. Idem docet libr. I de Gener. lect. x, ubi inquit: « Non manere idem numero accidens, sed id quod prius erat corrumpi per accidens corruptione subjecti, et advenire simile accidens consequens formam de novo advenientem. » Et videri etiam potest, quæstione de spiritualibus creaturis, articulo iii ad 19, et quæst. de Anima, articulo ix ad 5. Eandem sententiam communiter sequuntur Thomista; Cajetanus, Soneinas, Capreolus, Bannez, et alii, quos citant, et sequuntur Conimbricensibus I de Gener. capit. iv, quæstion. xviii, articulo ii; Carmelitani, libr. I de Gener. disputation. iii, quæstion. vi; Fonseca v Met. c. xxviii, q. xx, sect. ii.

Fundamentum est illud duplex principium supra insinuat. Et quidem primum, scilicet quod ipsum

totum, et non sola materia est subiectum accidentium infra quæstionem ix, probandum a nobis est; ibi videatur.

Secundum principium, quod ponitur a D. Thoma ubi supra est quia materia, licet sit susceptiva formæ substantialis, et accidentalis, tamen ordine quodam recipit illas, eo quod ipsæ formæ inter se ordinatæ sunt, et una essentialiter supponit alteram, sicut gradus vegetativus supponit sensitivum, et actus intellectus supponit potentiam, sic esse accidentale supponit substantiale, tanquam naturaliter illi coordinatum, et ab eo dependens, esse autem substantiale datur per formam substantialem.

Quod ut radiciter percipiatur, distinguendum est de accidentibus quæ sunt propriæ passionem et quæ sunt communia. Si sunt accidentia propria certum est, quod non inhærent materiæ, neque illi uniuntur, nisi mediante forma, eo quod non conveniunt materiæ, nisi ut dimanantia a forma, non dimanant autem a forma, nisi ut unita materiæ, quia non dimanant ab ea, nisi ut habente esse, habet autem esse forma, quando est in materia, vel quia dependet ab illa, vel quia creatur in illa; ergo prius est formam inesse materiæ, et illi dare esse, quam materiam recipere accidentia dimanantia ab illa, et ita calor in igne productus non potest esse idem numero qui erat in ligno, quando disponebatur ad ignem, quia iste dimanat a forma ignis introducta. Si vero accidentia sint communia, vel possunt dici communia, quia licet dimanent a forma, dimanant tamen secundum gradum communem, non secundum ultimam differentiam, sicut quantitas dimanat a gradu corporis, qui est communis omnibus, tam elementis, quam mixtis, et de his accidentibus eadem ratio est, atque de

propriis, quia ut advertit D. Thomas I part. quæst. lxxvi, art. vi ad i, sicut dantur diversi gradus unius, et ejusdem formæ, ita consequuntur unumquodque genus, seu gradum sua propria accidentia. Quare ista accidentia prout sic dimanantia, et consecuta, necessario supponunt formam in materia, ut ab ea consequantur, non vero ipsa prius ponuntur in materia, quam forma a qua consequuntur.

Si vero sint accidentia communia, et nullo modo dimanant a forma, sed fortuito convenient alicui, et tanquam non per se connexa, adhuc talia accidentia non remanent in illa materia, nec illi conveniunt ante formam. Primo quidem, quia illa accidentia non determinant materiam ultimo, neque disponunt ad introductionem formæ, cum non habeant connexionem per se cum forma, ergo non est ratio cur ponantur in materia antequam forma substantialis ad quam est immediatus ordo materiæ, quia materia est potentia substantialis, et ideo immediate respicit actum substantialem. Unde si dispositiones per se requisitæ, et determinantes materiam, non prius recipiuntur in illa quam forma, multo minus accidentia non per se connexa. Deinde, quia habitudo materiæ ad formam substantialem est immediata, et essentialis, antequam respiciat accidentia, quia materia est potentia substantialis, cujus immediatum, et per se correspondens debet esse actus substantialis, ex ordine enim ad actum denominatur, et constituitur potentia. Unde non solum materia respicit formam substantialem, tanquam principalem ordine intentionis, accidentalem autem ordine executionis, ut P. Suarez dicit, ubi supra numero lvi, sed formam substantialem respicit quasi immediatum specificativum, et ita debet respicere illam

ut prius attackam non solum prius intentione, sed etiam executione, quia quod essentialiter, et primario terminat habitudinem prius attingitur in executione, quam secundarium, quia prius essentia constituitur in executione, et non solum in intentione, quam id quod secundarium. Et præsertim, quia accidens dependet a substantia in existendo, quia substantia per se existit, accidens autem inexistit, et inhæret, quod autem est prius in ordine existendi, est prius ordine executionis, et non solum intentionis, executio enim respicit esse existentis, et ita cum forma substantialis det materiæ esse substantiale, consequenter datur esse in ordine, et linea existendi, quod est prius ordine inhærendi, et consequenter, sic ordo executionis est ordo existendi, etiam in hoc ordine debet esse prior fama substantialis quam accidentalis. Et hinc est quod quia accidens dependet a substantia secundum ordinem existentie, valde assimilatur dependentiæ a causa efficienti, quatenus causa efficiens præsupponit esse, ut ab ea dependeat effectus, et ideo Deus media efficientia sua supplere potest dependentiam actualem accidentis a substantia sustentante, quia in hoc idem potest facere efficiens, quod sustentans. Quare materia remota forma substantiali non potest retinere accidentia, et ideo non transeunt eadem numero de corrupto ad genitum existendo immediate in materia.

Dices: Sufficere ad sustentanda accidentia esse partiale, quod habet materia, atque adeo licet dicat ordinem primo, et per se ad formam substantialem, adhuc sufficiens esse manet in materia ad sustentanda accidentia præsertim quæ dimanant ab illa, ut quantitas, vel accidentia communia.

Secundo, non sequitur corrumpi

accidentia, licet mutetur forma, et esse substantiale, quia subrogatur loco ejus aliud æque bene sustentans tale accidens in esse, qua ratione diximus supra materiam primam non perire adveniente nova forma, licet mutetur ejus esse, quia subrogatur aliud æque bene præbens esse materiæ.

Ad primum respondetur, non sufficere illud esse partiæ materiæ ad sustentanda accidentia, tum quia materia non habet esse partiæ, sed tantum esse accipit a forma, eo quod forma dat esse substantiale, atque adeo primum esse, quod substatur aliis, alias non esset substantiale, non ergo supponit aliud prius in materia; tum quia dato, quod haberet esse partiæ, adhuc non potest sustentare accidentia, nisi dependenter a toto, seu composito tanquam existente ut *quod*, unde ipsa materia solum est principium sustentandi accidentia ut *quo*, remoto autem vel destructo principio *quod*, et non subrogato alio supplente in omnibus vices ejus, principium *quo* neque agit neque recipit. Falsum est autem, quod quantitas dimanat a sola materia, siquidem dimanat a gradu corporeitatis, quem præbet forma, et sic juxta diversas formas videmus variari quantitates alias, si eadem quantitas semper inesset materiæ, fortius et intimius uniretur accidens materiæ, quam forma substantialis, quæ variatur, cum tamen materia prius essentialiter respiciat formam substantialem.

Ad secundum dicitur, non subrogari accidenti aliud æquivalens, quia subjectum diversum non potest continere idem numero accidens, quod aliud subjectum, quia una causa naturalis non continet effectus alterius totaliter etiam quoad omnem individuationem; sola causa prima potest id totaliter continere, et supplere propter omnimodam subordi-

nationem causæ secundæ ad primam in omni ratione entis, de quo diximus quæstion. XII Physicor. et dicemus infra quæstion. XII. Et hæc ratione Deus sustentans accidens extra subjectum conservat illud idem numero. At vera materia subrogatis diversis formis conservatur eadem numero, quia quælibet forma inæquate respicitur a materia, et omnium illarum est capax, ut a quælibet conservetur, accidens vero non respicit plura subjecta, sed æquate ab uno sustentatur, et individuat.

Ad primum, a principio de dispositionibus determinantibus materiam, et efficientibus generationem in ultimo instanti dicemus sequenti articulo, quia de hoc est specialis difficultas.

Ad secundum respondetur, quod quantitas non sequitur materiam in hæsi, et dimanative, sed solum sequitur materiam, ut est sub forma, et ut accipit ab illa gradum corporeitatis, cujus proprium accidens est quantitas, ut S. Thomas docet supra primum, quæst. LXXVI. Dicitur autem quantitas sequi materiam, sicut qualitas formam, tum propter similitudinem, tum propter generalitatem; propter similitudinem quidem, quia materia est pure passiva, similiter quantitas nullo modo est activa; propter generalitatem autem, quia tam generalis est quantitas materiæ, sicut gradus corporeitatis, nulla autem materia reperitur sine corporeitate, et nulla sine quantitate.

Quod vero dicitur, materiam individuari per quantitatem, et debere supponi individuum in instanti generationis, respondetur materiam non individuari per quantitatem substantialiter, sed per propriam incommunicabilitatem, quantitas autem solum concurrat non tam ad rationem individuationis, quam ad ejus multiplicationem, et divisio-

nem, hæc enim fit per quantitatem, et se habet ut conditio dividens et requisita necessario, ut ejus divisione posita, non ab ipsa sed a substantia seu materia sub quantitate divisa resultet diversa individualitas substantialis, ut dicemus infra quæstione nona agendo de principio individuationis. Hinc autem quantitatem, qua individuat, et individuat materiam, sufficit quod in instanti generationis habeat, prioritatem causæ formalis a forma, prioritatem dispositivæ causæ, et materialis a materia, non vero requiritur, quod ipsi materiæ sit cœna, eique perpetuo in hæreat, quod ibi latius explicabitur. Nec hoc habet specialem difficultatem in homine, quia licet forma ejus entitative sit spiritualis, informitative tamen, et virtualiter est corporea et ut *quo*, quatenus præbet gradum corporeitatis, a quo sequitur quantitas, sicut et alia accidentia corporea. Et sic ipsum totum quod resultat, simpliciter est corporeum, scilicet homo atque adeo capax quantitatis ut *quod*, principium autem recipiendi quantitatem ut *quo* est ipsa materia ut subest formæ, quatenus dat gradum corporeitatis.

Ad secundum respondetur illa accidentia quæ remanent in genito non esse eadem numero quæ in corrupto, sed similia, ut expresse docet S. Thomas I de Gener. lect. x, eo quod aliquæ formæ habent talem symbolizationem, et affinitatem, ut petant similia accidentia præsertim in principio suæ generationis quando nondum omnem suam perfectionem obtinent, et inter istas est facilis transmutatio, sicut embryonis in animal, animalis in cadaver, et sic cum sint formæ vitales et tendentes ad ulteriorem formam petunt similitudinem in accidentibus. Aliquando autem generans producit accidens simile ei quod erat in corrupto propter necessitatem materiæ, ex qua fit

generatio. Pro quo notandum est, quod formæ quæ generantur, aut quando de novo fit augmentatio, vel nutritio, licet accidentia propria sive proprias passiones non habeant ex materia, multa tamen accidentia communia sortiuntur ex determinatione materiæ in quam introducit forma, quia accidentia communia non emanant a forma, sed a generante præbente illa juxta occurrentem materiam, et circumstantias, sicut patet quod a generante præbetur ubi, et situs, etiam cum aliquid generatur extra proprium locum tanquam accidens commune, et mutabile: cum autem generans ita agat in passum quod etiam reparatur ab illo ut infra dicemus quæstione quinto, nec perfecte vincit passum in omnibus, oportet quod in ipso genito producantur accidentia aliqua a generante non absolute ut est in se, sed ut modificatio, et temperato per reactionem passi, ab illo enim determinatur generans ad producendum aliquas qualitates, quas ex se solum non produceret, unde quando aqua vel ignis, aut ferrum interficit animal, et generatur forma cadaveris sive ab ipsis, sive a cælo, ut a principali agente, tunc illa accidentia communia producantur, quæ juxta passi resistentiam, aut exigentiam, generans potest producere, et ita aliquando producit calor in visceribus animalis, licet ab agente frigidus introducat forma cadaveris, eo quod illud agens frigidum licet per se et directe solum producat frigus, tamen ut repatitur a calido quando interficit animal, imbuatur qualitatibus calidi, et sic etiam aliquid caloris producit cum forma cadaveris: aliquando vero talis calor producit per antiperistasis, seu circumobstantiam contrarii, et a cælo introductente formam cadaveris, tanquam a causa per se. Quid sit anti-

peristasis dicemus questione quinta. Et eadem ratione videmus nutritivam generare aliquando alimentum cum alienis qualitatibus, et nocivis propter repassionem a materia, quæ suis qualitatibus imbuunt nutritionem, et similiter generari animal cum aliis qualitatibus, licet semen sit bonum propter infectionem sanguinis, qui est materia. Sic ergo agens, seu generans non solum considerandum est quid possit juxta modificationem quam habet ex resistantia passi, seu reactione, et secundum virtutem, quam inde participat, et similiter secundum virtutem, quam habet a celo, et ab aliis circumstantibus a quibus omnibus determinatur, vel accipit vim produendi aliqua accidentia communia, juxta exigentiam materiæ in qua operatur, atque adeo potest generare similem colorem, cicatricem, et similiter impulsus, et alia similia non vi sua de novo impellendo, sed continuando impulsus quatenus ex corpore impulso generatur cadaver, et ita virtus impressa ab impellente ipsi animali quod corrumpitur, cum in corrumpente non inveniatur dispositionem contrariam a qua extinguitur determinat ipsum corrumpens, et communicat illi vim continuandi similem impulsus in cadavere. Nec obstat, quod sensus nullam in hoc sentit mutationem, nec enim ad sensum pertinet judicare de mutatione individuali, quæ sit ex sola corruptione subjecti, quando subrogatur illi accidens ejusdem speciei, sed tunc quando alteratur, et mutatur accidens sine alterius similis subrogatione.

Sed adhuc objicies D. Thomam IV contra Gent. c. LXXXI, dicentem: « Quod materia hominis post ejus mortem quæ tali formæ fuit subjecta manet sub eisdem dimensionibus ex quibus habebat, ut esset materia individualis, » ergo non denudatur ma-

teria omni accidente saltem quantitate, per quam sigillatur, et determinatur, ut sit hæc individua materia. Et confirmatur, quia dispositiones antecedentes non habent contrarium a quo corrumpantur subequentes, siquidem sunt ejusdem rationis cum illis, ergo manent. Nec dici potest quod per definitionem subjecti desinunt; nam contra est, quia dispositio ultima cum annexa sit ipsi formæ genitæ, non corrumpitur per ejus destructionem, cum potius tunc generetur, dispositio autem infra ultimam est compatibilis cum subjecto corrumpendo, ergo non desinit ex sola definitione subjecti, sed a contrario; hoc autem non datur, quia ultima dispositio non est contraria illi antecedenti, quæ est infra ultimam, sed est ejusdem speciei, verbi gratia, calor ut octo cum calore ut septem.

Respondetur D. Thomam intelligi, quod manet materia cum eisdem dimensionibus radicaliter, quatenus materia est radix earundem dimensionum non formaliter, quia non manet eadem quantitas, nec sub eadem forma, manet tamen in materia ordo ad eandem formam, id est, animam ut recuperandam per resurrectionem divinitus, et sic manet eadem dimensio radicaliter. Quod confirmat ibidem S. Thomas dicens quod corporeitas est duplex, alia substantialis, scilicet ratio corporis de genere substantiæ, quæ non est aliud quam ipsa forma, alia accidentalis, quæ est species quantitatis quæ est corpus. Et de hac subdit S. Thomas: « Quod licet cedat in nihilum corpore humano corrupto, tamen non impedit, quod idem homo numero resurgat, quia manet eadem corporeitas, eadem manente forma hominis. » Sentit ergo D. Thomas quod non manet eadem dimensio quantitativa in materia hominis, sed idem ordo ad formam humanam,

unde habebit eandem dimensionem, quia habebit eandem corporeitatem. Alia loca D. Thomæ ex q. VII et IX tertiæ partis explicabimus articulo sequenti.

Ad confirmationem respondetur dispositiones antecedentes non corrumpi ab ultima dispositione directe tanquam a contrario, sed indirecte, et per accidens, quia introducunt formam impossibilem præcedenti, et consequenter destruit subjectum talium dispositionum antecedentium, et sic ipsæ desinunt ad definitionem subjecti in quo erant: non est autem inconveniens quod per accidens, et indirecte aliquid corrumpatur a suo simili, destructo fundamento ejus, cui innitebatur.

ARTICULUS VII.

Quomodo ultima dispositio causetur, vel causet generationem substantialem?

Supposita sententia, in articulo præcedenti explicata, quod forma introducitur in materiam denudatam omni forma, tam substantiali, quam accidentali duplex urget difficultas in præsentis articulo pertractanda. Primo, quomodo ultima dispositio possit causari ad modum, quo cæteræ antecedentes causatæ sunt, aliæ enim in ipso subjecto, quod corrumpitur introducuntur, ultima autem dispositio si in ipso subjecto causaretur, cum ipso corrumpere, et sic non conjungeretur formæ substantiali, quæ de novo generatur. Si autem produceretur ultima dispositio in subjecto, quod de novo generatur, tunc non produceretur per alterationem sicut cæteræ antecedentes, et sic non continuabitur illis, et consequenter non erit causa corrumpendi formam, et disponendi materiam ultimate ad in-

troductionem formæ, siquidem non existit in subjecto ante generationem formæ substantialis, et consequenter non expellit formam corruptam, neque materiam ipsam disponit, ut recipiat formam de novo, siquidem post ipsam formam talis dispositio convenit subjecto, quidquid autem infra talem dispositionem est, compatitur cum forma corrupta, et sic non expellit illam.

Secunda difficultas est, quomodo ultima dispositio possit causare formam quæ de novo generatur, sive effective, sive materialiter, siquidem dispositio illa transit cum subjecto quod corrumpitur, siquidem in sola materia nuda non remanet, supposita sententia explicata articulo præcedenti, et infra quaestione IX explicanda, quod accidentia non subjectantur immediate in materia prima, et sic non transeunt de corrupto ad genitum, ex quo fit quod ultima dispositio non potest materialiter determinare materiam, siquidem non inhæret, nec afficit illam. Similiter etiam non potest effective attingere ipsam formam, quia consequitur post ipsam in subjecto, ergo non potest effective illam generare, et sic generabitur forma a dispositione remota effective, quæ est minor ipsa ultima, quod stare non potest, quia compatitur cum forma corrupta nec habet perfectam, et ultimam virtutem quæ ultimo ordinatur, et connectatur cum forma genita, ergo non potest in illam influere effective.

Et urgetur amplius, quia si ultima dispositio non efficitur a generante in subjecto corrumpendo, sed in ipsa re genita, ergo in instanti generationis prius efficietur ipsa forma substantialis, et mediante ipsa emanabit ultima dispositio tanquam accidens illius, ergo non est virtus efficiens ipsius generantis respectu formæ substantialis, cum

potius ab ipsa forma emanet. Similiter in instanti generationis debet præsupponi materia præparata, et disposita ut introducatur forma, sed tunc materia denudatur omni accidenti, et dispositione, ergo omni effectu formali accidentis disponentis et determinantis materiam, ergo non remanet materia determinata, et disposita neque formaliter, neque virtualiter; non formaliter, quia nulla forma disponens tunc est; non virtualiter, quia nulla alia forma remanet, in cuius virtute contineatur illa dispositio, nisi solum quædam connotatio extrinseca quod immediate antea fuerit dispositio non ultima, quia ultima non fuit in tali subjecto; hoc autem non sufficit ut materia dicatur intrinsece, et realiter determinata et disposita.

Denique, est generalis difficultas, quomodo in illo instanti dispositiones possint operari effective, quia præcedentes tunc non sunt, sed desinunt esse, subsequentes autem efficiuntur tunc, ergo non efficiunt ipsam generationem. Et dato quod tunc existant, non possunt agere effective in subjectum in quo sunt, ut docet S. Thomas I-II, quæstion. LXXXV, articulo 1 ad 4. Nec ipsum subjectum agit per illas, quia alias eadem pars ageret et pateretur, esset movens et mota.

Difficultates istæ parum urgent eos qui tenent accidentia subjectari in materia immediate, et consequenter ea quæ sunt in corrupto posse manere in genito, et sic facile concedunt dispositionem ultimam immitti a generante in ipsam materiam, quando est sub forma corrupta, et sic præparare materiam per dispositionem ultimam, quam habet ante formam, et consequenter ab ipsa forma non dimanare ultimam dispositionem, pro qua sententia plures citantur a P. Suarez disp. XIV Metaphys. sect. III. Cæterum uia

multi alii existimant subjectari quidem accidentia in materia sola, præsupponendo tamen prius unionem ad formam substantialem, ut Conimbricenses 1 de Generatione, cap. IV, q. IV et probabile reputat Suarez loco citato n. XXXVII et XI et LX, ideo adhuc loens est in hac sententia, ut dicatur dispositionem ultimam non dari in materia ante formam substantialem, sed ab ipsa forma dimanare. Unde ipse Suarez tom. III de Gratia, lib. VIII, c. XII, n. X, licet dicat esse probabilius dispositionem antecedentem non perire in instanti generationis, sed manere in genito, ibique consummari in ratione dispositionis ultimæ, oppositum tamen admittit ut probabile, sed dicit quod in ea sententia oportet respondere quod vel ultima dispositio non præparat materiam, sed forma recipitur in materia immediate, hoc ipso quod denudatur omni forma, vel si præparat materiam, ipsa prout præparans non est a forma, sed a generante.

Reducitur ergo difficultas ad hoc, an ultima dispositio procedat a forma genita quasi effective, et dimanative, et tamen præparet, et disponat ipsam materiam; an vero, si præparat materiam non procedat ab ipsa forma, sed ab ipso generante; vel denique an ultima dispositio nullo modo præparet materiam ad formam sed introducatur in nuda materia, dispositio autem ultima sequatur formam tanquam dispositio ornans non præparans, et determinans materiam ad talem formam. Quod si ultima dispositio utrumque habet, scilicet determinare materiam, et consequi ad formam, restat videre quomodo id faciat in instanti generationis, et præsertim, an dispositio ultima habeat esse virtus effectiva generantis in illo instanti.

DICO ERGO PRIMO: Sive accidentia

subjectentur in soli materia, sive in toto composito, dispositio ultima nunquam est simul cum forma quæ corrumpitur, sed cum illa quæ generatur. Hæc conclusio tanquam certa in hac difficultate statuenda est. Et probatur, quia dispositio ultima expellit formam oppositam a materia, quia ut dicit D. Thomas quæstion. XXVIII de Verit. articulo VIII ad ultimum per calorem in summo expellitur forma aquæ, et ita non sunt simul. Et patet, quia hæc expulsio fit per impossibilitatem dispositionis ultimæ cum forma corrupta, omnes enim dispositiones antecedentes tendunt ad expulsionem et corruptionem formæ, et ideo opponuntur, et contrariantur illi, ergo ultima dispositio est illa, quæ ultimo opponitur, et sic impossibilis est cum tali forma, siquidem non restat alia ulterior, quæ ad expulsionem ejus faciat, ergo non est simul cum tali forma, quia impossibilitatem habet cum illa. Unde etiamsi accidentia recipiantur in sola materia, tamen quia non potest habere simul oppositas, et impossibiles formas, non potest simul habere dispositionem ultimam, et formam corruptam. Et sicut forma genita, ut formaliter expellat corruptam, non requiritur, quod simul cum illa sit in materia, alias duæ formæ essent in illa, sed sufficit quod conjungatur illi per successionem et expulsionem non per similitudinem, ita ut dispositio ultima expellat dispositivam formam corruptam, non requiritur, quod simul existat cum ea, sed quod succedat illi expellendo non simul existendo. Quod autem dispositio ultima sit simul cum forma genita affirmat D. Thomas quæstione citata de Verit. articulo VII ad II, dicens: « Quod calor consummatus simul introducit cum forma ignis. » Et sumitur ex dictis, quia illa ultima

dispositio, sicut est impossibilis cum forma corrupta, ita est compossibilis et connexa cum forma genita, ergo simul est cum illa, nec enim materia datur aliquando sine aliqua forma substantiali, cum qua sit illa accidentalis.

DICO SECUNDO: Dispositio ultima bene compatitur hæc duo, scilicet quod præparet materiam ad formam terminative, quod est non solum dari ad ornatum, sed ad præparationem materiæ erga formam, et similiter quod talis dispositio causetur a forma in ordine causæ formalis, et secundum dependentiam in esse. Utrumque affirmat D. Thomas q. XXVIII de Verit. art. VII, in fine corporis, et in IV, dist. XVII, q. I, a. IV, q. I et II et a. V, q. III, ubi affirmat: « Dispositionem ultimam esse effectum formæ in genere causæ formalis, et tamen præcedere ipsam in genere causæ materialis. » Sed præsertim videri potest D. Thomas in III, d. XIII, q. III, art. I, ubi distinguit triplex genus dispositionis: « Uno modo ita quod cadat medium inter subjectum, et perfectionem illam, quasi instrumentum perfectionis illius, sicut diaphaneitas disponit ad lucem. Alio modo disponit aliquid ad formam si ut præparando materiam ad receptionem formæ, ita quod præexistat in materia ante formam ordine fieri non ordine essendi, sicut calor disponit ad formam ignis, non quia medium cadit inter formam et materiam, sed materia appropriatur ad formam ignis per adventum caloris. Tertio modo aliquid disponit ad perfectionem aliquam, sicut quod facit ad bonitatem, et decentiam perfectionis, sicut decor personæ facit ad dignitatem regiam. » Ecce S. Thomas distinguit dispositionem præparantem materiam ad formam a dispositione ornante, et conducente ad decentiam, et in primo ordine ponit

dispositionem ultimam, ut calor ad formam ignis, quæ ordine fiendi tantum præcedit, non ordine existendi seu ut medium existens inter materiam et formam, et consequenter non prius existens in materia, quam forma.

Explicatur autem conclusio, ostendendo illa duo non esse impossibilia, scilicet dependere, seu causari a forma, et præparare, seu determinare materiam ad talem formam consummative, et terminative, sicut dispositio antecedens et alteratio ad illam præparat, et disponit materiam inchoative. Quod patet, quia dispositio ultima, v. g. calor ut octo, est accidens connexum cum forma ignis ab illaque dependens in esse tanquam propria passio in ejus radice contenta, sicut clare videmus, quod ignis genitus habet calorem ut octo tanquam proprietatem: et secundo habet calor ut octo esse ejusdem rationis, et speciei cum calore ut sex, vel septem qui ante instans generationis disponebat lignum ad formam ignis, et sic dispositio ultima habet esse terminus et consummatio caloris antecedenter disponentis. Quod S. Thomas aperte fatetur in quæst. xxviii de Verit. articul. ix ad 10, ubi inquit: « Quod ea, quæ in instanti fiunt dicuntur fieri, et factum esse, quia quatenus illud instans est terminus prioris temporis in quo fiebat, usurpat sibi id quod priori tempore debetur. » Ergo sentit D. Thomas quod dispositioni ultimæ in facto esse etiam convenit esse terminum antecedentis dispositionis, et prioris temporis, et sic ejus denominationem usurpat sibi. Igitur dispositio ultima secundum istos duos respectus, seu formalitates potest consequi ad formam, et disponere materiam in diverso genere causæ, quia enim est accidens impossibile cum forma præcedente, connexum

autem, et subordinatum formæ genitæ tanquam proprium accidens illius, necesse est quod ab ea dependeat, et ad eam sequatur. Quia vero est terminus, et consummatio præcedentis alterationis, per quam materia disponebatur ad formam generandam, ideo per illam ultimam dispositionem terminative, et consummative materia disponitur, et præparatur. Et sic illa ultima dispositio terminat duplicem actionem generantis secundum diversam formalitatem, scilicet alterationem, et generationem; alterationem quidem, in quantum est consummatio, et terminus præcedentis alterationis; generationem autem in quantum est propria passio connexa formæ substantiali, et sic formam substantialem consequitur. Nec est novum, ad unum effectum concurrere duas actiones secundum diversas formalitates, sicut sol et homo ad generandum hominem, vel si datur una tantum actio, scilicet generatio, illa virtualiter continebit vim alterationis præcedentis cujus loco subrogatur complendo ipsam.

DICO TERTIO: Dispositio ultima non est virtus efficienter influens in generationem substantialem neque in corruptionem formæ oppositæ. Est D. Thomæ q. xxviii de Verit. art. viii ad 5, ex his quæ secundo loco ponuntur, ubi inquit: « Quod dispositio non facit aliquid ad formam effective, sed materialiter tantum in quantum materia per dispositionem efficitur congrua ad receptionem formæ. » Et loquitur de dispositione ultima. Ratione autem conclusionis manifesta est ex dictis, quia dispositio ultima cum sit accidens non potest operari effective, nisi ut virtus recepta in aliquo subjecto, et ut inhærens illi, neque enim calor dicitur calefacere, sed calidum, quia non potest operari

forma, seu principium quo qualis est calor, seu dispositio ultima nisi operante aliquo principio quod, siquidem principium quo essentialiter est alicujus operantis per illud, est enim id quo aliquid operatur, ergo essentialiter supponit principium quo. Si ergo dispositio ultima operatur efficienter generationem, necessario id facit ut recepta in aliquo subjecto, sed non recipitur in corrupto, quia desinit esse neque in aliquo corpore circumstanti, quia illud non disponitur, neque ex illo generatur res, ergo in ipso genito, ut ostensum est, quia ad ejus formam consequitur, ergo non potest effective attingere ipsam generationem, quia non potest effective agere in subjectum, in quo recipitur, ut dicit D. Thomas, i-ii, q. lxxxv, a. 1 ad 4, et si posset efficere, non tamen generare, qui si recipitur in illo, ut efficiat, jam supponit esse generatum, et existens.

Si dicatur influere saltem effective in corruptionem formæ oppositæ, contra hoc instat D. Thomas quæst. xxviii de Verit. articul. viii, in corpore, ubi ostendit gratiam non posse per actus a se elicitos effective operari ad remissionem culpæ quod est corruptio formæ oppositæ, sed per informationem subjecti, informando enim expellit formam oppositam non efficiendo, et ratio est, quia efficientia non est directe ad corruptionem, alias terminaretur per se primo ad non ens, quod est nihil efficere, sed primo et per se terminatur ad ipsam aliquam generationem, seu ad formam, secundario ad corruptionem alterius, ergo si dispositio ultima non potest effective concurrere ad generationem, neque effective influet in corruptionem.

Sed ex hac conclusione insurgit grandis difficultas, qua virtute generans, quando est absens effective

attingat ipsum genitum, nam dispositio ultima ut diximus, non concurrat effective ad generationem, dispositio autem infra ultimam non est sufficiens ad producendam formam genitam, v. g. calor ut septem ad producendam formam ignis; tum quia non potest producere calorem ut octo cum sit illo inferior, ergo neque formam ignis; tum quia illa dispositio antecedens subjectatur in ipso corrupto, quia compatitur cum ejus forma, ergo in ipso instanti generationis non existit, ergo neque effective operatur. Nec potest dici quod manet virtualiter, aut quod illa dispositio antecedens continuatur cum forma genita, ut significat D. Thomas iii p. q. viii, a. xiii ad 2, dicens: « Quod dispositio quæ vi generationis præcedit, naturaliter perfectionem sequitur; quam aliquid jam consecutus est, sicut calor qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens a forma ignis, » et q. ix art. iii ad 1 dicit: « Quod per calorem disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ. » Contra hoc instatur, quia si ita est, non fiet in generatione substantiali resolutio usque ad materiam, quia illa dispositio præcedens continuatur cum forma genita, et sic manet in materia, vel saltem manet aliqua virtus, in qua virtualiter continetur illa dispositio, et hæc virtus aliquod accidens est. Ad hoc ergo.

DICO QUARTO: Virtus generantis, quæ effective operatur ut decisa, et diffusa ab ipso generante tanquam instrumentum illius, non est dispositio ultima, sed cum dispositionibus antecedentibus invenitur, et in instanti generationis non operatur effective, ut existens in subjecto corrupto, neque in subjecto genito, sed in parte propinquiori ipsi rei geni-

tæ. Supponit hæc conclusio, quod generans dupliciter potest se habere erga materiam ex qua generat, vel enim est illi indistans et immediatum immediatione suppositi, virtutis, sicut ignis est proximus ligno quod comburit, et tunc virtus effectiva generantis non est nisi in ipso et tunc supposito generante, scilicet calor qui est in igne. Aliquando vero generans est distans a materia ex qua generat, et solum est immediatum illi per suam virtutem, sicut sol cum generat herbam, et animal quod mediante semine generat aliud, et tunc etiam datur virtus effectiva diffusa, et decisa ab ipso agente, tanquam instrumentum ipsius, ut dicit S. Thomas quaest. III de Pot. art. XI ad 9 et aliis pluribus locis, et nos probavimus quaest. XII Physic. De hac ergo virtute diffusa in absentia, vel distantia generantis procedit conclusio. Et prima pars dicit, quod non est dispositio ultima, sed cum antecedentibus ponitur. Et hoc manifestum est, quia dispositio ultima est effectus conjunctus, et annexus ipsi formæ genitæ, ita quod non existit nisi ubi existit forma genita, sicut calor ut octo non existit nisi ubi forma ignis, ergo non operatur nisi existente forma ignis, ergo non ipsam formam, seu generationem ejus effective attingit. Secunda vero pars, quod illa virtus effectiva non sit in subjecto corrupto, quando operatur in instanti generationis, constat, quia in illo instanti non est illud subjectum, siquidem corrumpitur, ergo neque est illa virtus, quæ inhærebat illi, quod autem non est, non operatur effective per se ipsum, per aliquam autem virtutem non operatur, quia de hac erit eadem difficultas in quo subjecto sit. Tertia pars, quod non existat in re genita tanquam in subjecto, neque in ejus materia, constat ex doctrina S. Thomæ I-II,

q. LXXXV, art. I ad 4, et q. CX, art. II ad I, et quodlib. X, art. III ad 2, ubi statuit dispositionem, seu accidens non agere effective in suum subjectum, sed formaliter actuando illud, ergo dispositio existens in re genita, non potest illam generare ut de se constat, quia sic supponet existens ante subjectum, et consequenter deberet esse in alio subjecto: nec potest supponi ut existens in materia, et agere effective in ipsam et ex ipsa, quia cum accidens non possit operari nisi ut *quo*, et consequenter ipsum subjectum, cui inhæret debet operari ut *quod*, idem esset dicere quod accidens operatur effective in subjectum, ac dicere quod subjectum operatur effective in se ipsum. Nihil autem se ipsum movet effective, et multo minus materia prima, quæ nullo modo est activa, sed passiva, ergo non potest accidens existens in materia prima operari in illa, effective. Quarta pars conclusionis, scilicet quod in casu quo generans est distans a materia quam disponit, et ex qua generat, debet assignari aliqua pars proxima quæ per virtutem a generante decisam cum dispositionibus antecedentibus effective agat in partem proximioram et sic fiat generatio, inde constat, quia nihil effective agit in se ipsum, sed oportet distinguere agens et passum, partem moventem et partem motam, ergo oportet quod generatio fiat agente una parte in aliam, quando ipsum generans non est ibi præsens, ut per se ipsum agat. Et hoc etiam bene notarunt Conimbricenses in c. V, quaest. IX, art. II, §. Quare nostra.

Et si instes: Quia pars proximior non habet in se dispositionem ultimam, v. g. calorem ut octo, sed aliquid infra illam, alias esset in ea ignis genitus, et non solum virtus ad ignem generandum, ergo non potest talis virtus inferior producere

dispositionem ultimam effective, respondetur quod illa virtus licet entitative, et formaliter sit infra calorem ut octo, et infra dispositionem ultimam, virtualiter tamen in quantum instrumentum generantis a quo est decisa talis virtus, habet vim ad attingendum effective formam substantialem rei genitæ, et ipsam dispositionem ultimam illius. Et hoc sumitur ex D. Thomæ I p. q. LXXIX, art. IV ad 4, dicente: « Quod in mixto manent qualitates propriæ elementorum licet remissæ, in quibus est virtus formarum elementalium; » censet ergo, quod etiam infra calorem ut octo potest virtualiter manere vis formæ generantis. Itaque calor qui est infra gradum caloris ut octo, non potest per modum caloris principalis producere nisi calorem similem sibi; et non calorem ut octo, si tamen consideretur non solum ut calor, sed ut calor virtuosus, id est, ut derivatus ab igne tanquam instrumentum ejus ad producendum substantiam similem sibi, et consequenter calorem ut octo, sic operatur illum instrumentaliter non principaliter. Quod si absente, vel destructo generante virtus illa debilior et imperfectior facta sit, aut egressa fuerit, quam ut possit producere substantiam, si eam producit, id fiet virtute causæ superioris, scilicet cœli, vel causæ primæ suppletis, quod deest de virtute generantis, et sic plures formæ inanimatæ quandoque producantur a celo, ut quando cadaver generatur ex jugulatione, vel ex suffocatione, ferrum enim non est productivum directe formæ cadaveris, sed ferri; tamen tollendo dispositiones vitales, v. g. calorem, qui est in sanguine relinquit locum cœlo, ut introducat formam cadaveris. Quid autem sit in virtute illa, quæ est quædam qualitas, esse virtutem substantiæ explicavimus q. XII Physic. quod non

est aliquid superadditum qualitati, sed tantum ab ipsa substantia esse derivatam, et aliquid illius in ordine ad producendam similem substantiam.

Cæterum in generatione viventium specialis difficultas est, quomodo distinguatur pars efficiens, et pars effecta, eo quod vivens non generatur successive a parte in partem sicut inanimata, sed organizato corpore et integre disposito tota generatio in instanti perficitur, et ideo non apparet quomodo a parte vicina procedat ipsa forma viventis et ultima ejus dispositio.

Sed respondetur ex doctrina D. Thomæ I p. quaest. CXVII, art. I ad 3 et IV de Potent. art. XI, præsertim ad 8, ubi docet, quod virtus activa seminis non est in toto semine, sed in spiritibus qui in ipso semine includuntur, in quo etiam spiritus est aliquis calor ex virtute corporum cœlestium, quorum virtute agunt ista inferiora, et istæ partes spirituosæ seminis agunt in alias, quæ se habent ut materia, et formant illas, et licet materia illa corpulenta, ex qua fit generatio animalium, varietur per diversas formas quas vocamus formas embryonis usque ad perfectæ formæ introductionem, non tamen destruitur illa pars spirituosæ in qua est virtus activa seminalis, nec mutatur, ut dicit S. Thomas solutione illa ad 8, et sic semper manet distinctio inter partes, quæ effective agunt, et partes in quibus introducitur forma animalis; in illis enim partibus spirituosis, quæ spumiosiores sunt non introducitur forma genita, quia illis non formatur fetus, sed ex corpulentiori crassiorique materia seminis, et sanguinis; alioquin, ut ibi argumentatur D. Thomas, si partes illæ spirituosæ mutarentur, et formaretur ex illis fetus, ut ex materia, destrueretur illa virtus semina-

lis, et sic non posset virtute seminis usque ad completum perfici generatio. Quid autem fiat de illis partibus habentibus virtutem seminis postquam forma animalis jam est introducta, respondet D. Thomas quæst. illa cxviii citata ad 4, quod evanescente spiritu, et dissoluto semine, desinit esse illa virtus activa, quæ erat in semine, eo quod erat vis instrumentalis quæ cessat productio jam effectu. Itaque resolvitur pars illa spirituosissima; et evaporatur in aliquod corpus; et sic semper distinguitur forma. Et illa qualitas activa seminis licet formaliter sit inferior ad dispositionem ultimam, non tamen virtualiter, in quantum est virtus substantiæ derivata ab ea ad agendum.

Ex quo manifestum est quomodo dispositio influat effective ad introductionem formæ, vel corruptionem; constat enim ex dictis, quod virtus efectiva influens debet esse in alia parte, vel subjecto ab illo quod disponitur, et sic semper distinguitur pars movens et pars mota, evitaturque illud inconveniens, quod dispositio non existens in ultimo instanti operari possit, existit enim tunc virtus operans in parte proximiori. Similiter etiam constat quomodo materia dicatur disposita sive a dispositione ultima, sive ab antecedenti; non per extrinsecam denominationem, sed per realem informationem, quia ante instans generationis disponitur materia quasi in fieri, et tendentia ad formam per dispositiones antecedentes, quæ subiectantur in ipso toto, quod est corrumpebendum, et ipsam materiam determinant ad formam introducendam. In instanti autem generationis determinatur materia in facto esse, et consummative per ipsam ultimam dispositionem, quæ non recipitur in sola materia, sed in ipso toto, quia semper est connexa cum

ipsa forma, sed tamen illa dispositio habet duplicem respectum, seu officium secundum quod correspondet duplici principio, scilicet formæ genitæ ad quam consequitur, ut propria passio, et alterationi quam terminat et consummat; et non est necesse, quod secundum utrumque respectum præparet, et disponat materiam, sed sufficit quod ut terminus alterationis est, illam disponat, non ut proprietaria formæ, sed quia de facto inhæret, et existit in ipso toto, et in ejus materia, ut in principio quo recipiendi, hoc sufficit ut per realem, et intrinsecam denominationem dicatur disponere illam.

Ad illa loca D. Thomæ in quibus videtur dicere, quod calor qui erat in corrupto, manet in genito, respondetur, non loqui de eodem numero calore, sed de simili, qui ideo dicitur non cessare, quia per calorem similem continuatur, non tamen idem numero manet, ut expresse dicit D. Thomas 1 de Gener. lect. x, et aliis locis præcedenti articulo citatis, et cum calor adveniens per introductionem formæ profluat ab ipsa forma ut eisdem locis, quæ in contrarium citantur affirmat doctor sanctus non potest loqui de eodem numero calore, quia hic non potest profluere a forma introducta, qui antea præcesserat in subjecto.

Ad difficultates a principio positas respondetur ex dictis. Ad primam dicimus solam alterationem, quæ præcedebat in subjecto corrupto non producere ultimam dispositionem, nisi interveniente, et adjuvante generatione, quæ producit formam substantialem, et dispositionem ultimam ut illi annexam, et ut terminum alterationis præcedentis; et secundum respectum ad formam ad quam sequitur, est posterior illa; secundum vero quod terminat alterationem præcedentem, et consum-

mat illam in eodem ordine accidentis, sic fungitur officio dispositionis tanquam terminus, et consummatio ejus quæ præcedebat, et quatenus consummat et virtualiter continet præcedentem dispositionem, virtualiter dicitur præcedere.

Ad secundam difficultatem respondetur, ultimam dispositionem non causare effective formam ad quam disponit, neque se habere ut virtutem generantis, sed solum ut dispositionem cum duplici respectu, primus ad formam genitam, ut illi annexam per modum propriæ passionis, secundum ad dispositiones antecedentes, quarum est consummatio et terminus, et secundum primum respectum subsequitur formam, secundum posteriorem antecedit non duratione, sed natura, et causalitate, ut dictum est.

Ad probationes contra hoc. Ad primum de efficientia respondetur, quod virtus efectiva generantis non convenit dispositioni ultimæ formali, sed dispositioni antecedenti, ut est virtus substantiæ generantis respiciens formam substantialem producendam, et ordinata ad illam, et consequenter ad dispositionem ultimam, quæ ipsam concomitatur, et ita ultima dispositio formalis est terminus seu effectus virtutis generantis, non virtus efficiens rei genitæ. Nisi dicamus quod dispositio antecedens, et infra ultimam, in quantum est virtus substantiæ generantis, est etiam dispositio ultima non formaliter, sed virtualiter, quatenus virtute illam continet, sicut et formam substantialem.

Ad aliam probationem ex parte præparationis materiæ respondetur, quod ultima dispositio præparat materiam consummative, et terminative, seu in facto esse, ita quod usque ad instans generationis exclusive supponit materiam præpara-

tam in fieri, et tendentia per dispositiones antecedentes, in illo autem instanti introducit formam in materiam concomitanter præparatam per illam dispositionem ultimam, quatenus terminus est, et consummatio dispositionum antecedentium, et illis coordinatur, et sic habet vim illarum tanquam terminus in quo consummantur, et sub hac ratione etiam habet vim causalitatis materialis, et præcedentiæ ad formam sicut habebat dispositiones antecedentes. Ipsa autem forma secundum respectum, et causalitatem formalem, quia informat materiam, intelligitur respicere materiam secundum entitatem nudam materiæ, id est, ut substantialiter informabilis, sic enim materia non est informabilis a forma substantiæ mediate accidente, sed per se ipsam immediate, et ita sub hoc respectu informandi solam entitatem materiæ respicit forma, non dispositiones accidentales, solum enim respicit illas, ut determinantes indifferentiam materiæ ad talem formam, et ad hoc sufficit, quod concomitanter sit ibi dispositio in eodem instanti, dicatur autem præcedere sub respectu, et ordine causalitatis materialis, in quantum terminus, et consummatio præcedentium dispositionum, quas virtualiter continet. Et ita cum instatur, quomodo maneat materia præparata virtualiter an formaliter, et in qua forma dicatur virtualiter manere illa præparatio, respondetur in re, et in ipso instanti generationis dari ipsam dispositionem ultimam annexam formæ, quæ tanquam terminus et consummatio præcedentium dispositionum virtualiter illas continet, et continuat præparationem, et determinationem quam illæ faciebant in materia usque ad illud instans exclusive.

Ad ultimam difficultatem respondetur, dispositionem quæ est virtus

generantis effectiva non esse in subjecto, quod corrumpitur, nec in subjecto quod generatur, quia non agit effective in subjectum, in quo est inhæsiue, ut ex D. Thoma dicitur in argumento, sed est in parte proximiori, in qua etiam invenitur virtus generantis in ejus absentia, ut satis supra ostensum est.

Cæterum P. Suarez disp. illa Metaphys. sect. III, num. XXVIII, non quiescit cum doctrina tradita existimatque non satisfacere illam distinctionem de mutua prioritate inter dispositionem, et formam; et instat contra illam, quia dispositio si est vere præparans, et non solum ornatus ac perficiens subjectum, oportet quod determinet, et quasi limitet capacitatem ejus ad talem formam, ergo etiam determinat ipsum agens ad talem formam introducendam; ergo fieri non poterit, ut talis forma effective sequatur ex forma introducta. Consequentia patet, quia si dispositio fuit a forma, et forma efficitur ab agente, ergo agens non potest determinari a tali dispositione quæ producat formam, sed potius mediante forma determinatur agens ad talem dispositionem.

Confirmatur, quia illa dispositio non potest exercere causalitatem materialem, et habere prioritatem naturæ, neque respectu actionis quæ fit forma, neque respectu materiæ, quam disponit. Non respectu actionis, quia illa dispositio sequitur mediante forma, ergo non potest habere causalitatem, et prioritatem respectu illius actionis, quia fit ipsa forma, siquidem quando fit forma nondum illa dispositio, nec est facta ut possit tunc causare. Respectu vero materiæ non potest habere istam prioritatem, quia non potest disponere materiam nisi informando illam, non autem potest informare illa dispositio materiam in illo priori, siquidem materia ante for-

mam informatur ab accidentibus, illud autem accidens non potest disponere nisi informando, et inhærendo, quia sine inhærentia non est et sic neque disponit; si autem in illo priori non disponit, cui inhæret illa dispositio? Non formæ, quia sequitur ad illam, et sic pro illo priori nondum inhæret formæ. Non composito quia præparat ad illud, non vero disponit illud, sed materiam ad illud, ei autem inhæret quod disponit, ergo inhæret soli materiæ, atque adeo non est necesse, quod consequatur ad formam, sed inest materiæ ab agente.

Respondetur dispositionem ultimam non determinare ipsum agens ut efficiat, sed determinare tanquam effectus ejus; dicitur autem ultima dispositio determinare agens non ut virtus ejus ad efficiendum, sed ut terminus dispositionis antecedentis, quæ erat virtus determinata ipsius agentis, et ab eo decisa. Deinde addo quod agens, neque per ipsas dispositiones antecedentes quas emittit in materiam, determinatur ad generandum, sed antequam illas emittat, determinatur ad generandum et tanquam medium necessarium, et virtutem agendi emittit illas dispositiones quæ se habent ut effectus ejus, et virtus determinata ad generandum formam, et sic dispositiones istæ procedunt ab agente determinato, siquidem in virtute ejus determinate operantur. Nec obstat quod dispositiones antecedentes non sufficiunt determinare materiam vel agens; non sunt enim sufficientes determinare in facto esse, et consummative, bene tamen in tendentia, et inchoative; et in quantum virtus sunt substantiæ generantis, etiam effective.

Ad confirmationem negatur antecedens. Ad probationem ex parte actionis respondetur, dispositionem non suscipere in se actionem quæ

fit forma, sed præparare materiam in facto esse, ut recipiatur in ea forma, quæ est terminus actionis, et hac ratione disponere dicitur ad actionem in suo termino. Nec requiritur ad munus causæ materialis, quod existentia præcedat, sicut in causa efficiente, sed sufficit quod in re concomitetur, itaque in nulla duratione detur causa materialis sine existentia, ut in q. XI Phys. probavimus. Ad probationem ex parte materiæ, respondetur illam dispositionem non posse disponere nisi inhærendo et informando inhærentia et existentia concomitante, et in re inventa, non autem inhærentia formalizante, seu constituente formaliter omnem prioritatem, et causalitatem materiæ erga formam, vel formæ erga materiam: et ita pro illa prioritate naturæ, seu formalitate et conceptu, quo materia intelligitur substantialiter recipere formam, non intelliguntur dispositiones informare materiam (licet de facto ibi sint, sed solum materiam substantialiter compositum cum forma constituere, ipsa autem præparatio et determinatio materiæ erga talem formam solum præsupponitur ibi concomitanter, vel antecedenter, non autem formaliter intelligitur, sed id pertinet ad aliam prioritatem, vel posterioritatem naturæ, est enim ibi antecedenter ratione dispositionum antecedentium, concomitanter autem ratione ultimæ dispositionis, quæ in facto esse illas terminat. Et sic patet ad illam interrogationem ubinam pro illo priori inhæret dispositio? Dicemus enim, quod pro illo priori formali non inhæret, quia illa prioritas non est formalitas inhærendi, sed substantialiter componendi, concomitanter vero, et in re tunc inhæret in composito ut in subjecto *quod*, et sustentante illam, in materia vero ut subjecto *quo* recipiendi, et determinabili per illas

dispositiones, nec est necesse ad hoc ut inhæreat in composito quod partim sit in forma, partim in materia, sed sufficit quod in materia ut in subjecto *quo*, et in toto composito ut in subjecto *quod*, ut latius dicemus infra quæst. IX.

QUÆSTIO II.

DE CORRUPTIONE.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo differat corruptio in ratione mutationis a generatione, et ab annihilatione?

Ut resolvimus in III Phys. q. XIV, et V Phys. q. XIX, art. I ex Aristotele motus ut distinguitur a mutatione communiter dicta, duas exigit conditiones. Prima ex parte subjecti, quod ejus subjectum sit ens in actu, id est, informatum forma substantiali, non ens in potentia, quod est materia prima, quæ tamen sufficit ad mutationem. Secunda ex parte terminorum, ut videlicet motus proprie dictus sit inter terminos positivos et consequenter proprie seu positive contrarios, ad mutationem vero sufficit oppositio privativa de non esse ad esse, vele contra in subjecto capaci utriusque. Ex quo apparet corruptionem non esse motum strictè dictum ut contraponitur mutationi, eo quod non est inter terminos positivos sed versatur ab esse ad non esse. Dubium autem est in duobus. Primum, an ex eo quod terminus ad quem corruptionis sit desitio formæ, amittat rationem mutationis substantialis et solum sit privatio generationis. Secundum, an ex eo quod solum est in subjecto capaci differat ab annihilatione, qua res totaliter desinit in nihilum. Ideoque